

piantur. Extremus restat actus ritus nempe exequialis cadaveri paran-
dus. Vestrum erit, CIVES ACADEMICI, tum ex nobilissimis nati,
tum ad nobilissima quæque destinati, non tantum ingemiscere in tam
luctuoso casu, fatorum vices trutinare: sed & honorifico comitatu fu-
nus ex ædibus BALTHASARI Franc/civis & tinctoris, exportandum
in commune CHRISTIANORVM dormitorium, adornare & vos sin-
gulis momenti præparare ad normam vitæ æternæ, quæ omnes rectè
vivi, piè exspirantes expectat postliminio. Quod facietis tantò lu-
culentius & lubentius: quantò evidentius vestrum testati estis dolo-
rem. Interim statuetis nobis & monentibus & urgentibus; pro sum-
mo & paterno, quo vos prosequimur adfectu, opera Aphrodisia, Hel-
luationes Milonianas, grassationes Cyclopicas exagitationumque
nocturnarum tempestates turbulentas esse retia, quibus ille

Mille opifex scelerum fraudisq; repertor & auctor,
ANIMAS CAPERE, CORPVS PERDERE satagat totis viribus. Co-
gitabitis momentosam Mimi sententiam:

Cuius accidere potest, quod cuiquam.
Maximè illam Divi GREGORII veluti ex Apollinis Pythij oraculo e-
ditam, imis animi reponetis sensibus:
MOMENTANEVM QVOD DELECTAT, ÆTERNVM QVOD
CRVCIAT. Hoc itaque ò iuventus florentissima exemplum triste in-
tuita cautior esto, prava sodalitia relinquito, honestè & modestè vivito.
Laudabilius enim Mortem ad nos potius transire quam ad illam nos,
cumque incertissimum sit, quo illa quemque loco expectet,
vos eam MILITES PALLADII omni loco
expectate!

Felix quem faciunt aliena pericula cautum!

Vindice FATO.



XLVII

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ

M. TOBIAS MA-
GIRUS, LOGICÆ
PROFESSOR
PUBLICUS

Ad Exsequias

Quas
Doctissimo & Ornatissimo
juveni

CHRISTIANO GERST,
MANNO LEGVM
STUDIOSO

Mater maestissima
apparat

Omnes Reipublicæ Lite

rariæ Cives invitat
a. d. IIX. id: Mart. 8.5.1813
Anno Salutis
CICIDCXIIX.



Typis
NICOLAI VOLTZII.



12

ACADEMIAE VINDOBONENSIS
 M. TORIAS MA
 GIRLS LOGICA
 PROFESSOR
 Ad Excedias
 CHRISTIANO GERST
 MANNO LEGAT
 Quidam Respublica
 a. d. 183. id. Mar.
 CIO IX IX

426444



AMASIS REX ÆGYPTIORUM,
 cum Æthiopum Rege, de sapientia dimi-
 cans prerogativa, inter alia quid com-
 munissimum esset quasi vit : ad quod
 ille : Mors, respondit. Quod ut ut Ama-
 sis non repudiavit responsum, Thales
 tamen ille inter septem Gracia sapien-
 tes inclytus ad examinis rigorem voca-
 vit, & ideo mortem esse non vult in scia-

tus est, quod nihil ad vivos pertineat : communissimum autem
 illud spem indigitavit, quod hac adsit quibus reliqua desint omnia.
 Quod si Thaletis hic jure per ejus sapentiam, licet uti, & in aliorum
 inquirere pronuntiata, atq, hac inter se componere responsa, nescio
 annon ideo Spes non communissimum, quod nulla sepultis, juxta il-
 lud passivum ex Gracia :

Ελπίδες ἐν ζώοισιν, ἀνάπιστοι δὲ θανάτου :
 mors autem revera sit, quod cum qui mortui sunt aliquando vixe-
 runt, tum qui vivunt omnes sunt aliquando morituri. Sed Rex &
 Sapiens alium sibi querant arbitrum Apollinem, nobis qui a pro-
 phetiarum cœtu segreges nos fecimus, donec quidem illi invenerint,
 duo ex altiori disciplina ut certissima, ita communissima innotue-
 runt : utrumq, nimirum, mors ac spes in morte. Mors quidem
 corporis, spes autem resurrectionis, quorū unum ut alterius est sua-
 visimum delinimentum, ita illud sine isto presentissimum est anima
 detrimentum. Mors communissimum est : quisquis ad vitam
 editur, ad mortem destinatur, alium alio tempore fata comprehen-
 dent, neminem prateribunt, ait sapientiæ Dictator Seneca. Om-
 nes inò omnia in ultimum diem spectant : non item universi finis
 est. Alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relinquit,
 alium in extremâ senectute, fatigatum jam & exire cupientem
 vix emittit : alio atq, alio tempore, omnes tamen in eundem locum,
 sine ullo discrimine, tendimus. Sarcophagus illud CHRISTIA-

A 2 NI GERST.

1519
NI GERSTMANNI Juvenis ab moribus & doctrinā
commendatissimi vel hodie in clamat. Nec enim atas hunc, virilem
nondum attingens, nec praeclara à parentibus laudatis origo, nec vi-
ta probitas, nec morum integritas, nec in studijs vigilantia, à morta-
litate lege vel ad lustrum, vel annum, vel diem, vel semihorium,
defendere valuerunt. Iter hoc ad communem terminum ire
cepit, anno à partu virgineo post millesimum quingentesimum o-
ctagesimo nono IIX Cal. Mart. superavit hora VI matutina quin-
ti post diei, qui erat III Cal. Mart. quàm quartam annorum suo-
rum hebdomadam egressus esset. Adeo praeceptorum non deserit veri-
tas observationes, qui septenarium numerum rerum omnium
ferè nodum esse ut ex Cicerone & Macrobio patet, signarunt.
Nodus profectò in CHRISTIANI nostri annis viridantibus,
cùm enim natura illi nihil negasset ad firmitudinem corporis infan-
ti, nihil languores & morbi forma detraxissent adolescenti, en quer-
quera febris, illa qua quartana & Medicorum ludificatrix dicitur,
insultat juveni, inhaeret ex anni XVI exordio in exordium XVII
mi. tum occultit sese quasi missum factura hospitium, sed subrept ite-
rum autumnus morbidus nacta oportunitatem, neq; necem protinus
minuitur, sed spe sui discessus lactat, donec tandem conscriptis qua-
si scopijs aperto adoriretur Marte, ansio exeunte veteri, & cum no-
vo, novissimum faceret impetum, conjuraret cum tace catharrath,
prae sidium strueret per hecticam, muniret cum putrida, ijs quibus
nec Machaon nec Podalirius monstris sit expugnandis, atq; ita no-
dum Gordio intricatiorem neceret, qui non dissolvi, sed diffecari
voluit, non Herculis sanè gladio, sed Perruptoris nostri morte,
mortem nostram suam & dulcorante, & in vitam commutante. An-
num ter septenum scribunt finem in longum crescendi facere, quater
septenum in latum ultra jam crescere prohibere, quinquies repeti-
tum omne virium quantam inesse unicuiq; possunt, complere augmen-
tum, nulloq; modo jam posse quinquies fortiolem fieri, atq; hinc in-
ter pugiles, qui expertes gloria usq; illo mansissent; quasi nihil de se
amplius

amplius in incremento virium sperantes à professione discessisse. Atq;
nostro CHRISTIANO quidem in longum latumq; adolescen-
di finem quarta hebdomas attulit, at virium perfectionem & gloria
coronam quinta non inter Palestrias mundanos, sed Victores athe-
reos conferet. Interim tamen nec hunc vita sua mens sine laude
emensus est. Lumen enim velut è speculà intuebatur ostensum non
modo à RADEMANNIS quorum è familia est Mater honestissima
Catharina, Servatij nimirum RADEMANNI, Senatoris quondam
oppidana curia prudentissimi, filia, sed ab ipsis etiam GERSTMAN-
NIS interq; eos maxime à Viro dum vivebat incomparabili Parente
SEBASTIANO, qui ut filium suum probe educari, pietate ac moribus
in culpatis indui, ingenuarum disciplinarum institutis imbui, sibiq;
quàm maxime geminum fieri prooptavit, idq; viduae Matri ultimo
quasi verbo imperitavit: ita filius hac obsequiose subjicit omnia, qui-
bus de parentes voluere, tingi se passus est coloribus: dumq; fre-
quenti cogitatione pertractaret, quanto Parente genitus esset, illo
nimirum qui & juris utriusq; Doctor nobilis, Antecessor & Ordina-
rius hujus Academiae laudabilis, S. Caesareae Majestatis, & potentis-
simi Electoris Brandenburgici consiliarius amabilis, & finitimarum
provinciarum quasi tripus quidam Apollinis audiret, hoc quasi sti-
mulo ad ardua excitabatur, hujus gloriae prolubio, ex Lytis & pro-
lytis ad altiora fastigia aspirabat, hac quasi tuba ad parentis no-
men ab oblivionis situ vindicandum, vocabatur. Quo nomine & à
Consultissimo POLENIO Jureconsultorum Germanorum ocello,
& Excellentissimo COLASIO Sonnenburgensis dicasterij Can-
cellario, & Clarissimo CARUSIO Academiae Syndico, Affinibus
suis ac tutoribus in oculis ferebatur, lateri eorum accingebatur, nec
quisquam vel desiderare ejus in artibus primis imbibendis diligen-
tiam, vel in jure audiendo, & evolvendo industriam poterat. Qua
porro agebat, qua proferebat, ea tincta erant modestia, univèrsa
vita sic peracta, ut nec superiorum aures ejus calumnys sint obtuse
unquam, & injurijs, nec parium consortia disturbata morositate, &
ineptijs,

ineptijs, nec inferiorum lasi animi fastu & contumelijs, sed ut majores amaverint, pares toleraverint, inferiores pradicaverint.

Verum hæc quorsum omnia, dicatis, nisi ut sororum fratrumve augeatur mœsticia, materna in flumene eant largius lacruma, cujus hævel ipsa querela: cari adolescentis interceptam inter prima incrementa indolem, spem ereptam, messem elusam, gaudium ex filij futura felicitate eliminatum, præcerptum istis filium ad quos imbatat honoribus: antequam fortunam nossæt suam, antequam bonis hujus vitæ potiretur, exemptum esse: matrem post maritum denuò viduatam filio: in medios fratres impetum factum, commodissimam turbam imminutam: tam benè stipatam optimorum adolescentum domum, in nullo fratre degenerantem, delibatam: hæc dolorem augere sibi, quibus morte immaturâ calamitas hæc accidit, quod spe sua se ante tempus excidisse sentiant. Admittantur verò hic ad consolandum vel illi qui extra & infra mysteria sapiunt divina Præproperam mortem, ad rei naturam quod attinet, nihil ab alio genere differre. Sicut enim proposita in communem patriam profectio, omnibus necessario, & citrà recusandi licentiam, incumbente, alijs præcedentibus, alijs sequentibus, omnes tandem eodem conveniunt: ita etiam nobis, ad fatale persolvendum debitum tendentibus, nihil plus obtingit his, qui serius quàm qui citius eò pervenerunt. Si quis pecuniam creditam se solvisse molestè ferat, eam præsertim cujus usum gratuitum acceperit, nonne injustus habebitur? Dedit natura filio, dedit fratri vitam, dedit & tibi: ea suo jure usa à quo voluit debitum suum citius exegit. Gaudete itaq; vos habuisse filium, fratrem, affinem tam bonum, & usum fructum ejus quamvis vestro brevior voto fuerit, boni consulite. Cogitate jucundissimum esse quod habuistis, humanum quod habere desistis. In consilium veniat alius sapiens S. Hieronymus, qui in epistola ad Heliodorum: Si nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, & Mathusala nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterea longitudo, quæ esse desisset

isset. Etenim inter eum, qui decem vixit annos & eum qui mille, postquam idem vitæ finis ad venerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantundem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur. Sentisne obsecro te, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robusta stas, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. Et post alia suavissimè: Id solum habemus lucri quod Christi nobis amore sociamur. Deniq; si nos ipsos exploraverimus, non movebit nos quod videtur defunctus ingentibus & cum maxime circumfusus bonis caruisse, cum plura sint quæ non timeat, quàm quæ amisit. Non ea quæ vivos, ira torquebit & injuria insolens, non morbus affliget, non suspicio laceffet, non edax & inimica alienis processibus invidia confectabitur, non metus sollicitabit, non levitas fortuna citò sua munera transferentis, inquietabit. Non miser qui bona nostratia amisit sed beatus ille, qui non desiderat: iste beator cui fortuna supervacua est, quàm is cui parta est: Supervacua autem illi est, qui evasit omnia vitæ incommoda, & expers omnis mali nihil timet, nihil cupit, nihil patitur sed cujus animus velut ex diutino carcere emissus, tandè sui juris & arbitrij gestit, & rerû cœlestium spectaculo fruitur & humana omnia ex superiore loco despicit, divina verò quorum rationem diu frustra quaesierat propius intuetur, & non nisi vasculi sui sed in claritatem reformandi, consociationem præstolatur, cujus spem, ut mortem dicebamus communissimam, etsi nobis quorum Vita mors Christi est, singularem.

In hac spe incedebat masculè noster CHRISTIANUS etiam lecto affixus & huic se memoriæ nominis sacramento dictum sentiebat, ut licet siccas & exhaustas corporis exuvias deponeret per Christum viveret tamen, easq; ipsas suo tempore recuperaret, hoc ex sacratis concionibus, quibus aures emanciparat attentas edocebatur, ob id sacrosanctam immortalitatis sæpe, in procinctu etiam stans ad discessum, sumsit alimoniam, in hoc divinorum mysterio-
rum

8
rum Choragis ipsi in morbo ac morte presentibus quando potius
verbo, post nutu ac motu astipulatus est.

Eandem & de vobis spem contestemini Cives Academici
in funerando Christiani nostri corpore, siquidem eo significatis, ut
Augustinus lib. de cura agenda pro mort: monet, ad Dei pro-
videntiam, cui extrema pietatis placent officia, corpora quoque mor-
tuorum pertinere propter fidem resurrectionis astruendam: hora
fluentis diei XII. ad ades ejus maternas accedite, funus ducite, fu-
nerantes reducite, idque non nostra saltem autoritati, sed professo-
ria dignitati, sed commilitia vestra honestati, sed CHRISTIA-
NI nominis sanctitati date, causa sunt haec omni excusatione
majores: sed nec infructuosa erit meditatio: duo esse com-
munissima CHRISTIANIS: mortem & a morte spem, vita ni-
mirum melioris: miseris unum solatium est spes mortis: alterum
spes restitutionis post mortem: at miserrimus ille est, in cujus morte
spes vita commoritur. Christianorum ultimum est suspirium: Et si
interfecerit me Dominus, nihilominus in ip-
sum sperabo. Vivite bene atque
valete.

T. M.



24711
Rector

ACADEMIÆ FRANCOFUR-
TANÆ
VVOLGANGUS

CRELIUS,

SS. Theologiæ Doctor & Professor P.

Ad funus

quod

Pio & honesto juveni

ELIÆ ROBERO

FRANCOFURTANO

MARCHICO

In militia professione mortuo

Præsigno suo charissimo

Dn. D. MATTHIAS POLENIUS,

SERENISSIMI ELECTORIS BRAN-

DEBURGICI CONSILIARIUS, ET

Pandectarum Professor P.

A. d. X. Kal. Sextilis

honorifice adparat, co-

beneficendum.

Omnes Reipubl. literariæ Ci-
ves amanter invitat.

Anno Christi

Cl. 13. CXX. 1620

LITERIS HARTMANNIANIS,

